

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Religio ab cum fonte primo

Inhumane redarguis eorum opera quorum refugis onera. Temerarie obiurgat uirum reuertentem de proelio mulier nens in domo. Dico enim si is qui de claustro est eum qui uersatur in populo interdum minus districte, minusue circumspecte sese agere deprehenderit uerbi gracia in uerbo, in cibo, in sompno, in risu, in ira, in iudicio; non ad iudicandum confestim prosiliat, sed meminerit scriptum: Melior est iniquitas uiri quam mulier benefaciens.

Nam tu qui in tui custodia uigilas benefacis, sed qui iuuat multos, melius facit et uirilius. Quod si implere non sufficit absque aliqua

inequalitate uite conuersationis sue, memento quia caritas operit multitudinem peccatorum.

Hec dicta sunt contra geminam temptationem qua sepe uiri religiosi episcoporum uel ambire gloriam uel excessus temere iudicare, dyabolicis instigationibus incitantur.

Bernardus super Cantica sermone XII.

Inhumane nempe eorum redarguis opera, quorum onera refugis. Temerarie obiurgat uirum de proelio reuertentem mulier nens in domo. Dico enim: si is, qui de claustro est, eum qui uersatur in populo interdum minus districte minusue circumspecte sese agere deprehenderit, uerbi gratia in uerbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in iudicio, non ad iudicandum confestim prosiliat, sed meminerit scriptum: MELIOR EST INIQUITAS VIRI QUAM BENEFACIENS MULIER (Eccli. 42:14).

Nam tu quidem in tui custodia uigilans bene facis; sed qui iuuat multos, et melius facit, et uirilius. Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, id est absque quadam inaequalitate uitae et conuersationis suae, memento quia caritas operit multitudinem peccatorum. Haec dicta sunt contra geminam temptationem, qua saepe uiri religiosi episcoporum uel ambire gloriam, uel excessus temere iudicare, dyabolicis instigationibus incitantur.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Cantica canticorum*, 12, 9 (SBO 1, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.66, ll.9-21).